

» te ipsum<sup>1</sup>? » Ita autem proximos tanquam vos ipsos diligistis, ut cum mali aliquid, quod nec visum, nec probatum est in vobis, credi de vobis nolitis, id quod nec vidistis, nec probatum accepistis, de toto terrarum orbe credatis.

IV. Videmini vobis dicere : « Dominus Jesus. » Et forte non intelligentes attenditis ad id quod Apostolus ait : « Nemo dicit : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto<sup>2</sup>. » Sed hoc quod ait : « dicit, » signate positum est, et proprio quodam modo. « Nemo enim dicit : Dominus Jesus, nisi » in Spiritu sancto : » sed si dicit factis, non solis verbis. Nam possunt dicere : « Dominus Jesus, » etiam de quibus ait : « Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere non » lite<sup>3</sup>. » Omnes hæreses, quas utique etiam vos improbatis, dicunt : « Dominus Jesus. » Nec utique segregaturus est de regno cœlorum eos, quos invenerit in Spiritu sancto, et tamen ait : « Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum<sup>4</sup>. » Sed, « Nemo dicit : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto : » nemo plane, sed eo modo quo dictum est, id est, factis. Unde secutus adjunxit : « Sed is qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. » Dicit enim et de quibusdam idem Apostolus : « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant<sup>5</sup>. » Quemadmodum negatur factis, sic dicitur factis. Hoc modo dicendi : « Nemo dicit : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. » Si ergo unitati non accesseritis, segregantes vosmetipsos, animales eritis; Spiritum non habentes. Si autem fide accesseritis : « Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum<sup>6</sup>. » Tunc ergo vos sanctum Spiritum habere cognoscite, quando mentem vestram per sinceram charita-

<sup>1</sup> Rom. xiii, 9, 10, et Galat. v, 14. — <sup>2</sup> 1 Cor. xii, 3. — <sup>3</sup> Matth. xxiii, 3. — <sup>4</sup> Id. vii, 21. — <sup>5</sup> Tit. 1, 16. — <sup>6</sup> Sap. 1, 5.

tem unitati consenseritis hære. Hæc eis respondeamus dicentibus : Quid accepturi sumus? nosque ipsos, fratres, exemplum illis bonorum operum præbeamus, nec quia stamus superbientes, nec de jacentibus desperantes.

### SERMO CCLXX<sup>1</sup>.

#### *In die Pentecostes, IV.*

I. QUONIAM sanctam solemnitatem celebramus diei tam sanctæ, ut hodie venerit ipse Spiritus sanctus, admonet nos tam festiva et grata solemnitas, de ipso dono Dei, et abundantia misericordiæ ejus in nos, id est, de ipso Spiritu sancto aliquid loqui. In schola Domini condiscipulis loquimur. Magistrum enim habemus unum, in quo omnes sumus unum : qui nos, ne forte de magisterio superbire audeamus, admonuit, et ait : « Nolite vocari ab » hominibus Rabbi; unus est enim magister vester Christus<sup>2</sup>. » Sub hoc ergo magistro, cujus cathedra cœlum est, quia erudiendi sumus litteris ejus, advertite pauca quæ dicam, donante ipso qui jubet ut dicam. Qui nostis recolite, qui ignorabatis accipite. Sæpe movet animum pie curiosum, si tamen admittatur humana fragilitas et infirmitas talia perscrutari. Imo admittitur. Non enim quod in Scripturis sanctis tegitur, ideo clausum est ut negetur, et non potius ut pulsanti aperiatur, dicente ipso Domino : « Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; » pulsate, et aperiatur vobis<sup>3</sup>. » Sæpe ergo movet stu-

<sup>1</sup> Alias 22 ex Sirmondianis. — <sup>2</sup> Matth. xxiii, 8. — <sup>3</sup> Id. vii, 7.

diosorum animum, quare quinquagesimo die post Dominicam passionem et resurrectionem missus fuerit promissus Spiritus sanctus.

II. Ubi primum illud admoneo Charitatem Vestram, ut aliquantum vos considerare non pigeat, quare dictum sit ab ipso Domino: « Non potest ille venire, nisi ego abiero<sup>1</sup>. » Quasi aliquid, ut secundum carnalem sensum loquamur, quasi aliquid in supernis Dominus Christus servaret, et inde descendens hoc quod servabat, sancto Spiritui commendasset, et ideo ad nos venire non posset, nisi ille rediisset qui commendatum reciperet; aut quasi nos utrumque ferre non valeremus, nec utriusque possemus tolerare præsentiam. Quasi vero alter ab altero separetur; aut quando ad nos veniunt, ipsi angustias patiantur, ac non potius nos dilatentur. Quid sibi ergo vult: « Non potest ille venire, nisi ego abiero? Expedit enim, inquit, vobis ut ego eam. Nam si non iero, Paracletus non veniet ad vos. » Hoc ergo quid sit, quantum vel capimus, vel æstimamus, vel ipso donante percipimus, vel quæ credimus loquimur, breviter accipiat Charitas Vestra. Videtur mihi, quod Discipuli circa formam humanam Domini Christi fuerant occupati, et tanquam homines in homine humano tenebantur affectu. Volebat autem eos affectum potius habere divinum, atque ita de carnalibus facere spirituales: quod non fit homo nisi dono Spiritus sancti. Hoc ergo ait: Mitto vobis donum, quo efficiamini spirituales: donum scilicet Spiritus sancti. Spirituales autem fieri non poteritis, nisi carnales esse destiteritis. Carnales vero esse desistetis, si forma carnis a vestris oculis auferatur, ut forma Dei vestris cordibus inseratur. Ex hac enim humana forma Dominus, hoc est, forma servi, « Semetipsum exinanivit formam servi accipiens<sup>2</sup>: » ex hac igitur forma

<sup>1</sup> Joan. xvi, 7. — <sup>2</sup> Philip. ii, 7.

servi Petri etiam tenebatur affectus, quando eum quem multum amabat, mori timebat. Amabat enim Dominum Jesum Christum, sicut homo hominem; sicut carnalis carnalem, non sicut spiritalis majestatem. Unde hoc probamus? Quia cum interrogasset ipse Dominus Discipulos suos, quis ab hominibus diceretur, et aliorum opiniones recolendo dixissent, quod alii eum dicerent Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis; ait illis: « Vos autem quem me esse dicitis? » Et Petrus unus pro cæteris, unus pro omnibus, « Tu es, inquit, Christus » Filius Dei vivi. » Hoc optime, veracissime: merito tale responsum accipere meruit: « Beatus es, Simon Bar-Jona, » quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus » qui in cælis est. Et ego dico tibi, » quia tu dixisti mihi; dixisti, audi; dedisti confessionem, recipe benedictionem: ergo, « Et ego dico tibi: Tu es Petrus: » quia ego petra, tu Petrus; neque enim a Petro petra, sed a petra Petrus; quia non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus. « Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam » meam: » non supra Petrum, quod tu es; sed supra petram, quam confessus es. « Ædificabo autem Ecclesiam » meam: » ædificabo te, qui in hac responsione figuram gestas Ecclesiæ. Hoc et cætera, propter quod dixerat Petrus: « Tu es Christus Filius Dei vivi: » et audierat, ut meministis: « Non tibi revelavit caro et sanguis, » id est, humana mens, humana infirmitas, humana imperitia; « Sed Pater meus qui in cælis est<sup>1</sup>. » Deinde cœpit Dominus Jesus suam prædicere passionem, et ostendere quanta esset ab impiis perlaturus. Hic Petrus expavit, et timuit ne periret morte Christus Filius Dei vivi. Utique Christus Filius Dei vivi, bonus de bono, Deus de Deo, vivus de vivo, fons vitæ et vera vita, perdere mortem ve-

<sup>1</sup> Matth. xvi, 15-17 et seqq.

nerat, non perire a morte. Tamen ut homo Petrus exterritus, cujus erat, ut dixi, circa Christi carnem humanus affectus: « Propitius, inquit, tibi esto, Domine; absit, » non fiat istud. » Et Dominus talia verba digna et congrua responsione confutat. Quomodo illi confessioni dignam laudem dedit, sic etiam huic trepidationi dignam correptionem: « Redi, inquit, retro Satanas. » Ubi est illud, « Beatus es, Simon Bar-Jona? » Distingue verba laudantis, et coercentis: distingue causas confessionis, et trepidationis. Causa confessionis: « Non tibi revelavit » caro et sanguis, sed Pater meus qui in caelis est. » Causa trepidationis: « Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ » hominis sunt. » Nollemus ergo ut talibus dicetur: « Ex » pedit enim vobis ut ego vadam? Nisi ego abiero, Paracle- » tus non veniet ad vos. » Nisi aspectibus carnalibus vestris humana forma subtrahatur, divinum aliquid capere, sentire, cogitare minime poteritis. Hoc sit satis. Inde oportebat, ut post resurrectionem et ascensionem Domini Jesu Christi, ejus de Spiritu sancto promissio compleretur. Sic enim et ipse Joannes evangelista ex persona sua dixerat, quando Jesus eundem significans Spiritum sanctum clamaverat, dicens: « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; » et flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus. » Secutus enim Evangelista ait: « Hoc autem dicebat de Spiritu, » quem accepturi erant ii, qui in eum credituri erant. » Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum » fuerat glorificatus. » Glorificatus est ergo Dominus noster Jesus Christus resurrectione et ascensione, et misit Spiritum sanctum.

III. Sicut autem didicimus ex libris sanctis, quadraginta dies complevit cum Discipulis suis post resurrectionem, manifestans eis, ne aliquid fictum existimarent,

<sup>1</sup> Joan. vii, 37, et seqq.

resuscitati corporis veritatem, intrans cum eis et exiens, manducans et bibens. Quadragesimo autem die, quem ante hos decem dies celebravimus, in eorum conspectu ascendit in caelum, promissus ut ibat ita venturus<sup>1</sup>, hoc est, in forma humana, qua judicatus est, in illa judicaturus. Voluit alia die quam ascendit mittere Spiritum sanctum; non saltem post biduum, vel triduum, sed post decem dies. Hæc quæstio perscrutari et interrogare nos compulit nonnullas latebras numerorum. Quadraginta dies quater habent decem. Commendatur hoc numero, quantum mihi videtur, sacramentum. Homines enim hominibus loquimur; et recte Scripturarum tractatores dicimur, non nostrarum opinionum affirmatores. Numerus ergo iste quadragenarius, quater habens decem, significat, ut mihi videtur, sæculum hoc, quod nunc agimus et peragimus; agimur et peragimur, cursu temporum, rerum in stabilitate, decessione et successione, rapacitate volatica, et quodam fluvio rerum non consistentium. Sæculum hoc ergo significatur hoc numero, propter mundi quadripartita tempora quæ implent annum; quadripartitos etiam cardines ipsius mundi, notos omnibus, et sæpe ab Scriptura sacra commemoratos: « Ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et » Meridie<sup>2</sup>. » Per hæc ergo tempora quadripartita et per mundum quadripartitum, prædicatur lex Dei, tanquam denarius numerus. Unde et Decalogus primitus commendatur. In decem enim præceptis lex constituta est: propterea quia videtur in isto denario numero quædam perfectio. Usque ad eum quippe numerum progressus est numerantis, et inde redit ab uno usque ad decem, rursus ad unum. Sic centena, sic millena; sic supra, denariis quibusdam complicantibus, infinite crescit sylvæ numerorum. Perfecta itaque lex in denario, et lex prædicata per

<sup>1</sup> Act. i, 3. — <sup>2</sup> Luc. xiii, 29.

mundum quadripartitum, quater deni quadraginta fiunt. Docemur autem, in hac conversatione sæculi hujus cum sumus, abstinere nos a cupiditatibus sæcularibus: quod significat jejunium quadragenarium notum omnibus Quadragesimæ nomine. Hoc tibi præcepit lex, hoc prophetia, hoc Evangelium. Ideo quia hoc lex, jejunavit quadraginta diebus Moyses: quia hoc prophetia, jejunavit diebus quadraginta Elias: quia hoc Evangelium, jejunavit quadraginta diebus Dominus Christus. Impletis ergo post quadraginta dies aliis decem diebus, denario numero semel, denario numero simpliciter, non quadrupliciter, venit Spiritus sanctus, ut lex impleatur per gratiam. Lex enim sine gratia littera est occidens. « Si enim data esset lex, » inquit, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. » Ideo: « Littera occidit, Spiritus autem vivificat<sup>1</sup>. » Non ut aliud impleas, quam tibi per litteram jubetur: sed sola littera reum facit, gratia et a peccato liberat, et litteram donat impleri. Unde fit per gratiam remissio omnium peccatorum, et fides quæ per dilectionem operatur. Nolite ergo putare damnatam esse litteram, quia dictum est: « Littera occidit. » Hoc est enim, littera reos facit. Datur præceptum, non adjuvaris gratia; continuo te invenis non solum non operatorem legis, sed etiam reum prævaricationis. « Ubi enim non est lex, nec prævaricatio<sup>2</sup>. » Non ergo reprehensa est lex, cum dictum est: « Littera occidit, » Spiritus autem vivificat, » quasi illam condemnaret, et istum laudaret: « Sed littera occidit, » sola littera sine gratia. Exemplum accipite. Hac locutione dictum est: « Scientia inflat. » Quid est: « Scientia inflat? » Scientia damnata est? Si inflat, melius imperiti remanebimus. Sed

<sup>1</sup> 2 Cor. III, 6, et Florus ibid. — <sup>2</sup> Rom. IV, 15

quoniam adjunxit: « Charitas vero ædificat; » quomodo ubi adjunxit: « Spiritus autem vivificat<sup>1</sup>, » dedit intelligi, littera sine spiritu occidit, cum spiritu vivificat, et impleri litteram facit; sic scientia sine charitate inflat, charitas cum scientia ædificat. Ergo missus est Spiritus sanctus, ut lex impleretur, et fieret quod ipse Dominus dixerat: « Non veni legem solvere, sed adimplere<sup>2</sup>. » Hoc donat credentibus, hoc donat fidelibus, hoc donat eis quibus dat Spiritum sanctum. Quanto fit eo quisque capacior, tanto ad operandam legem fit facilior.

IV. Dico enim Dilectioni Vestræ, quod et vos considerare, et facile videre poteritis: Charitas implet legem. Timor pœnarum facit hominem operari, sed adhuc serviliter. Si enim propterea facis bonum, quia times pati malum, aut propterea non facis malum, quia times pati malum; si aliquis tibi promitteret impunitatem, statim comprehenderes iniquitatem. Diceretur tibi: Securus esto, nihil patieris mali, fac, faceres. Timore enim pœnæ revocabaris, non dilectione justitiæ. Nondum enim de te charitas operabatur. Vide ergo quemadmodum charitas operetur. Sic amemus quem timemus, ut eum casto amore timeamus. Nam et uxor casta timet virum. Sed discerne istos timores. Uxor casta timet ne a viro absente deseratur: uxor adultera timet ne a viro superveniente comprehendatur. Charitas ergo implet legem: « Quia perfecta » charitas foras mittit timorem<sup>3</sup>: » timorem scilicet servilem, de peccato venientem. « Nam timor Domini castus » permanet in sæculum sæculi<sup>4</sup>. » Si ergo charitas implet legem, unde est ista charitas? Recolite, advertite, et videte quia donum Spiritus sancti est charitas. « Charitas enim » Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum

<sup>1</sup> 1 Cor. VIII, 1. — <sup>2</sup> Matth. V, 17. — <sup>3</sup> 1 Joan. IV, 18. — <sup>4</sup> Psal. XVIII, 10.

» qui datus est nobis<sup>1</sup>. » Merito itaque impletis decem diebus, quo numero legis etiam perfectio commendatur, Dominus Jesus Christus misit Spiritum sanctum : quia gratia donat nobis implere legem, quam non venit solvere, sed adimplere.

V. Spiritus autem sanctus in Scripturis sanctis septenario numero solet commendari, non denario : lex denario, Spiritus sanctus septenario. Quia lex denario, notum est : quia Spiritus sanctus septenario, commemoramus. Primo in ipso libro, in capite libri qui inscribitur Genesis, enumerantur opera Dei. Fit lux, fit cœlum, quod appellatum est firmamentum inter aquam et aquam ; nudatur arida, separatur mare a terra, datur terræ omnium stirpium fecunda conceptio, fiunt luminaria majus et minus, sol et luna, et cætera sidera ; produciunt aquæ foetus suos, terra suos, fit homo ad imaginem Dei : complet Deus opera sua omnia sexto die : in nullis operibus Dei tot enumeratis atque completis sonuit sanctificatio. Dixit Deus : « Fiat » lux, et facta est lux ; et vidit Deus lucem, quia bona est : » non dixit : Sanctificavit Deus lucem. « Fiat firmamentum, » et factum est ; vidit Deus quia bonum est<sup>2</sup> : » nec dictum est : Quia sanctificatum est firmamentum. Ita et cætera, ne in rebus manifestissimis immoremur, usque ad illa quæ sexta die facta sunt, cum homine creato ad imaginem Dei, enumerantur omnia, nihil sanctificatum dicitur. Ventum est ad septimum diem, ubi nullum opus factum est, sed vacatio Dei insinuatur, et sanctificavit Deus diem septimum. In septenario dierum numero prima sonuit sanctificatio, Scripturarum locis omnibus quæsitæ, et hic primitus inventa. Ubi quies commemoratur, quies etiam nostra insinuatur. Non enim laboravit Deus, ut quietis indigeret, et quasi post laborem die feriato gratularetur,

<sup>1</sup> Rom. 7, 5. — <sup>2</sup> Gen. 1, 3.

sanctificavit eum diem, quo vacare permissus est. Carnalis est ista cogitatio. Insinuata est nobis quies post bona omnia opera nostra, sicut insinuata est Dei quies post omnia bona opera sua. « Fecit enim Deus omnia, et ecce » omnia bona valde. Et requievit Deus in die septima ab » omnibus operibus suis quæ fecit<sup>1</sup>. » Requiescere vis et tu? Fac primo opera bona valde. Sic data est Judæis observatio sabbati carnaliter, sicut cætera, significantibus sacramentis. Vacatio enim quædam imperata est : vacatio illa quod significat, tu age. Vacatio enim spiritualis, tranquillitas est cordis : tranquillitas autem cordis provenit de serenitate bonæ conscientiæ. Ergo ille vere observat sabbatum, qui non peccat. Ita enim præcipitur illis, quibus observandum sabbatum præcipitur : « Omne opus servile » non facietis<sup>2</sup>. Omnis qui facit peccatum, servus est peccati<sup>3</sup>. » Septenarius ergo numerus dicatus est Spiritui sancto, sicut denarius legi. Hæc et Isaias propheta insinuat hoc in loco, ubi dicit : « Implebit eum Spiritus sapientiae et intellectus, (numera,) consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, Spiritus timoris Dei<sup>4</sup>. » Veluti descendens ad nos gratia spiritualis, a sapientia incipit, terminat ad timorem. Nos autem ascendentes, ab imo ad summa tendentes, incipere debemus a timore, et terminare ad sapientiam. « Initium enim sapientiæ timor Domini<sup>5</sup>. » Longum est, et supergreditur vires nostras, etiamsi non vestram aviditatem, omnia testimonia commemorare de septenario numero, quod attinet ad Spiritum sanctum. Ista ergo suffecerint.

VI. Illud nunc attendite, quemadmodum, quoniam per gratiam Spiritus sancti lex impletur, et denarius numerus commemorandus, fuit et commendandus, sicut jam osten-

<sup>1</sup> Gen. 1, 3. — <sup>2</sup> Levit. xxiii, 7. — <sup>3</sup> Joan. viii, 34. — <sup>4</sup> Isai. xi, 2. — <sup>5</sup> Psal. cx, 10.

dimus, et septenarius propter ipsam gratiam Spiritus sancti. Commendabat Christus denario numero, post decem dies mittens Spiritum sanctum, ipsam legem, quam jubebat impleri. Ubi ergo inuenimus hic commendationem numeri septenarii maxime propter ipsum Spiritum sanctum? Habes in Tobiae libro ipsam festiuitatem, id est Pentecosten, constare de septimanis<sup>1</sup>. Quomodo? Septenarium multiplica per ipsum, hoc est, septem per septem, quod in scholis discitur: septies septeni, fiunt quadraginta et novem. Ad hanc septenarii formam, ratione septem per septem: (quoniam ipse Spiritus sanctus colligit nos, et congregat nos: unde et ipsum adventus sui primum signum dedit, ut illi qui eum acciperent, etiam singuli linguis omnibus loquerentur. Congregatur enim unitas corporis Christi ex omnibus linguis, per omnes scilicet gentes toto terrarum orbe diffusas. Et quod unus tunc omnibus linguis loquebatur, ipsam unitatem in linguis omnibus futuram testabatur. Dicit autem Apostolus: « Sufferentes invicem in dilectione, » quod est charitas: « Satis agentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis<sup>2</sup>. » Quia ergo Spiritus sanctus ex multis in unum colligit nos: capitur autem per humilitatem, repellitur per superbiam. Aqua est enim, cor humile tanquam locum concauum quaerens, ubi consistat: elatione autem superbiae, tanquam tumore collis, repulsa labitur: unde dictum est: « Deus » superbis resistit, humilibus autem dat gratiam<sup>3</sup>. » Quid est: « Dat gratiam? » Dat Spiritum sanctum. Implet humiles, quia capaces inuenit). Ergo quia haec ita sunt, ad quadraginta-novem, qui efficiuntur de septem per septem, ut fiat Pentecoste, unus additur, et unitas commendatur.

VII. Quia infirmitatem nostram adiuuat apud Domi-

<sup>1</sup> Tob. II, I, juxta LXX. — <sup>2</sup> Ephes. IV, 2, 3. — <sup>3</sup> Jacob. IV, 6, 10.

num Deum nostrum studium Charitatis Vestrae, aliquid accipite, quantum mihi videtur, tanto dulcius cum expositum fuerit, quanto abstrusius si non exponatur. Ante resurrectionem Dominus jussit Discipulis suis, ut in mare mitterent retia, quando eos elegit. Miserunt, ceperunt piscium multitudinem innumerabilem, ita ut retia rumparentur, et onerata navigia mergerentur. Non autem praecipit in quam partem mitterent retia, sed tantum ait: « Mittite retia<sup>1</sup>. » Si enim praecipisset ut in dexteram partem mitterent, solos bonos significaret capi: si in sinistram, solos malos. Quia vero passim missa sunt, nec in dexteram, nec in sinistram; et bonos et malos. Haec est Ecclesiae significatio praesentis temporis, in hoc saeculo. Nam et illi servi missi ad invitatos exierunt; et quoscumque invenerunt bonos et malos adduxerunt, et impletae sunt nuptiae recumbentium<sup>2</sup>. Congregantur ergo nunc et boni et mali. Quare autem et schismata fiunt, si non retia dirumpunt? Quare plerumque turbarum carnalium male tumultuantium scandalis urgetur Ecclesia, si non et navigia premunt? Hoc ergo Dominus ante resurrectionem. Post resurrectionem autem invenit piscantes similiter Discipulos suos: jussit idem mitti retia, non utcumque et passim, quia jam post resurrectionem. Post resurrectionem enim jam corpus ejus, quod est Ecclesia, malos non habebit. « Mittite, inquit, retia in dexteram partem<sup>3</sup>. » Missa sunt retia, eo jubente in dexteram partem, et capti sunt pisces certi numeri. Nam illi sine numero, illi quibus significabatur Ecclesia, quae nunc agitur, tanquam ex illa captura: « Annuntiavi et locutus sum, » multiplicati sunt super numerum<sup>4</sup>. » Intelliguntur ergo quidam supernumerarii, quodam modo superflui: colliguntur tamen. Ibi vero in dextera capiuntur pisces, et

<sup>1</sup> Luc. VII, 4. — <sup>2</sup> Matth. XXII, 10. — <sup>3</sup> Joan. XXI, 6. — <sup>4</sup> Psal. XXXIX, 6.

numerati, et magni. « Qui enim fecerit, inquit, et sic » docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum<sup>1</sup>. » Ergo capti sunt pisces magni numero centum quinquaginta-tres. Quem non moveat, non frustra istum numerum commemorari? Non enim vere nihil significans Dominus, aut hoc ipsum diceret: « Mittite retia; » aut pertineret ad eum ut in partem dexteram mitterentur. Significat etiam iste numerus centum quinquaginta-tres: et pertinuit ad Evangelistam dicere, quasi respexisset primam illam capturam, ubi retia disrupta schismata significaverant; quia in illa Ecclesia vitæ æternæ nulla erunt schismata, quia nulla dissensio; omnes magni, quia charitate pleni: quasi ergo illud quod primo factum est ad significanda schismata respexisset, pertinuit ad eum dicere in ista secunda captura: « Et cum tam magni essent, retia » non sunt disrupta<sup>2</sup>. » Quid itaque dextera pars significaverit, dictum est, quia omnes boni. Quid magnitudo, dictum est: « Quia qui fecerit, et sic docuerit, magnus » vocabitur in regno cœlorum. » Quid etiam illud quod retia non sunt disrupta, dictum est, quia tunc non sunt schismata. Quid ergo centum quinquaginta-tres? Numerus iste non utique ipse erit sanctorum numerus. Neque enim centum quinquaginta-tres erunt sancti; cum soli illi, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, duodecies duodena millia commemorantur<sup>3</sup>. Sed iste numerus, tanquam arbor, a quodam semine videtur succrescere. Semen autem hujus magni numeri quidam minor numerus est, qui est decem et septem. Decem et septem faciunt centum quinquaginta-tres. Si vero computes ab uno usque ad decem et septem, et addas numeros omnes. Nam si ab uno usque ad decem et septem numeros non addas, quos commemoras totos, non erunt nisi decem et septem. Si

<sup>1</sup> Matth. vi, 19. — <sup>2</sup> Joan. xxi, 11. — <sup>3</sup> Apoc. xiv.

autem ita numeres: unum, duo, tria; sicut unum et duo et tria faciunt sex, sex quatuor et quinque faciunt quindecim: sic pervenis usque ad decem et septem, portans in digitis centum quinquaginta-tres. Jam ergo recole, quod paulo ante commemoravi et commendavi, et vide quos, et quid significant decem et septem. Decem, lex; septem, Spiritus sanctus. Unde quid intelligimus? nisi eos futuros in Ecclesia resurrectionis æternæ, ubi schismata non erunt, ubi mors non timebitur, quia post resurrectionem futura est; eos ergo ibi futuros, et cum Domino victuros in æternum, qui legem impleverint per gratiam Spiritus sancti et Dei donum, cujus festa celebramus.

#### SERMO CCLXXI<sup>1</sup>:

##### *In die Pentecostes, V.*

I. Dies nobis, fratres, gratus illuxit, quo sancta Ecclesia fidelium fulget aspectibus, fervet in cordibus. Celebramus quippe istum diem, quo Dominus Jesus Christus post resurrectionem ascensione glorificatus misit Spiritum sanctum. Sic enim scriptum est in Evangelio, cum diceret: « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; qui credit in me, » flumina fluent de ventre ejus aquæ vivæ: » Evangelista secutus exponit, et ait: « Hoc autem dicebat de Spiritu; » quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri. » Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum » fuerat glorificatus<sup>2</sup>. » Restabat ergo ut clarificato Jesu,

<sup>1</sup> Alias de Tempore 187. — <sup>2</sup> Joan. vii, 37-39.